

alia longe plura calumniatur: Lutherus bat sich oft in dem Ausbruch seines Hochmuths selber nicht gekannt, seine Feder um bloßer Wort-Kriege willen mit dem Grimm der Eigenheit heftig besudelt, und dem alten Adam in grausamen Schelten und Hass den Zügel gelassen.

§. II. His aliisque convitiorum plaustris LVTHERVUM onerant Novatores, quibus jam a tot aliis hostibus oneratus est, quem uti vehementi, acri, imo liberiore ingenio praeditum fuisse, non equidem negamus, cum ipse hoc agnoscat T. V. Altenb. fol. 275. ita eum tanto furori, affectibus abruptum, indulisse, nunquam probari poterit, siquidem Tempora, Personae & Objecta, quae hic occurrunt, plane singularia sunt, quibus rite consideratis, saniora de LUTHERO praedicare incipiemus.

§. III. (1) Tempora, quibus Lutherus scripsit, observari debent, quæ eiusmodi hominum mores exhibebant, ex quibus, si hodierni mores politiores percenseri deberent, decori externi jam usitati paritas vix apparerit. Actiones enim hominum, qui ante nos vixerunt, ad decori hodierni normam nequaquam sunt revocandæ. Non unum idemque decorum omnibus promiscue temporibus comprehenditur, sed ut ratione gentium, officii, status, sexus & personarum variat, ita pro diverso temporum respectu diversam rationem induit. Genius seculi Reformationis a nostro longe remotissimus, & vere germanis moribus in plurisque conspicuus, omnes simulandi & dissimulandi artes respuebat, verba in epanorthosi cum primis acria, & ex communi vita interdum erant petita, quilibet etiam summi Principes ita loqui & scribere amabant, ut cor in lingua gerere viderentur, quod ex literis non modo Principum, sed etiam vilioris status hominum, ad magnates adornatis, comparet, quibus id tunc vitio datum non esse legimus. Quod igitur aliis, hoc etiam Lutheru ex seculi moribus erit condonandum.

§. ~~III~~ IV.